

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

mata propofuit hesternâ die Philippus, easque præclare sustinuit, respondente Juvene Laureato, & ipso præside, me verò disputationem gubernante pro Academia more. Idem in reliquis fiet, ut solidius excutiantur singula disputationibus pluribus, quæ una satis pertractari omnia non queunt. Versantur & in Philosophicis studiis præter Theologica, suaque in iisdem exercitiis habent: ut si res ita poscat, ea etiam in parte præstare scholæ possint operam non infrugiferam. Hæc de filiis eorumque studiis, quibus præcor benedicat Dominus JESUS. Per cætera altum est silentium apud nos de Gallia & Germaniæ statu, deque bello Turcico, de quibus, si quid habes, rogo significes. Florenos centum accepi per Augustum Bechlium, declaras ea in parte, piam pro nostra œconomia curam. Et agit mea conjunx maximas gratias pro misso munere ad mercatum, parata, si possit hanc liberalitatem tuam officio compensare. Scripsi Basl. 25. Novembr. Anno 70.

Tuus ex animo frater

S. Sulzerus.

XXII.

S Quam grata mihi fuerit vel bidui, & ejus quidem non totius, tua & Flinæ consuetudo, dici vix potest, eoque magis doluit tam citò abruptam, dolet idem multis de Ecclesia nostra, quod docentes audire nequiverint, fuisse certe doctrinam vestra Ecclesiæ nostræ ut grata: ita frugifera. Quod filios atinet, placent mores candidi & modesti, quibus pientissimam educationem probant, ut confidam, eos non degeneraturos. Atque si mea illis conversatio ad doctrinam & pietatis profectum tam faciat, quam cupio, operam Basileæ non sunt lusuri, & hoc ipsum clarum esse Dominum spero. Ad concludendum arrium & philosophiæ cursum jam toti incumbunt, ut lauream Magisterii adepti toti sese philosophiæ celesti tradant, in qua persequenda si quam tu methodum præscriperis, curabo eam ut assidue sequantur, quanquam hoc ipsum sua sponte facturos scio. Equidem quantum me ames, quantumque confidas meo qualicumque studio, abundè æstimo, simul autem etiam onus reputo, quo depositum, quod habes in terris gratissimum, non illatum tantum, sed & auctum restituam. Fueglinus noster adhuc affligitur, quem velim orationibus tuis juves, ut Ecclesiæ nobisque restituatur. Si quid de Comitibus Spirensibus, aut ex Germania habes, quæso significa, & bene vale

A. 1570.

PARS QUARTA.

333

cum uxore, symmiftis fratribus totaque familia in Christo Jefu. Scripti Bafilæ,
5. Decembris, Anno 1570.

I. d. totus

Sulcerus.



XIII.

S Largitur successum curationi Philippi nostri divina benignitas, idque præter expectationem nostram. Nam qua parte metuebamus, nonnihil exasperatum affectum mandibulæ, ob graviolem ejus convulsionem, cum evelli dens non potuisset, ea videtur ad sanitatem inde habere initium non obscurum. Sic enim Chirurgus, vir in ea arte exercitatissimus, judicat, & subsidens gingivæ & maxillæ tumor ostendit. Censet idem D. Fælix, multis nominibus Fælix, qui mox adperente vere medicamentum exhibebit, ne per defluxiones novo malo causa oriatur. Non deest his bonis viris, vel fides vel diligentia, ob summum in te, & filium amorem. Gratias ergo ago Domino, qui etiam me sollicitudine liberavit. Studia utriusque haud infeliciter procedunt, Theologica & Philosophica, & modestia pietateque sese mihi totique contubernio nostro egregiè adprobare pergunt. Die crastina disputabit publicè M. Erasmus, qui idem domi nostræ, sicut & frater, quotidie facit. Præcor Dominum JESUM, ut utrumque suo Spiritu misericorditer regat & confirmet, ut organa fiant Ecclesiæ salutaria. Novi apud nos nihil, nisi quod intelligam, de pacis Gallicæ firmitate nonnullos dubitare, maxime cum Cancellarius, qui fuit Regni vir cordatissimus, adhuc privatus degat, fortasse nunquam in Aulam revocandus, & Guisaca familia infaustissima ad gubernacula sedeat, quo fit, ut leatius colligantur Ecclesiæ. De occupata Cypro per Turcam horrenda narrantur, quæ tibi indubie certius constant. D. Jacobi Andreæ scriptum, diu desideratum, nondum vidi, cujus si est aliquod ad manus exemplar, rogo communices, & bene valeas in Christo JESU cum uxore, totaque familia & symmiftis fratribus, quos cupio salvos jubeas meis verbis. Salutant te Coccius & Füglinus noster. Scripti Bafilæ, 20. Decembr. Anno 1570.

Tuus ex animo frater

S. Sulcerus.

Tt 3

XXIV.